



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

15. Aliàs felicis &c. Prorogatio Concessionis & moderaminis respective
Pauli V. & Urbani VIII. super facultate conferendi gradus Scholasticos pro
quibusdam Indiarum Occidentalium Collegiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Et transumptis fides adhibenda.

D. 14. Martii 1692. P. A. primo.

XV.

Prorogatio concessionis & moderaminis respectivè Pauli V. & Urbani VIII. super facultate conferendi gradus scholasticos pro quibusdam Indiarum Occidentalium Collegiis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Concessio Pauli Papæ V. Philippi III. Hispaniarum Regi facta.

§. 1. **A**liàs felicitis recordationis Paulo Papæ Quinto Prædecessori Nostro pro parte claræ memoriæ Philippi Tertii Hispaniarum Regis Catholici exposito, quoddam in Partibus Indiarum Occidentalium propter magnam multorum locorum, & Civitatum à Limana, & Mexicana Civitatibus, in quibus Universitates studii Generalis erectæ sunt, distantiam, multi reperiebantur, qui ex eo, quod ad dictas Universitates pro suscipiendis inibi gradibus consuetis accedere non poterant, studiis operam navare nolebant, unde magna in eisdem partibus virorum, qui Logicæ, Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ Studiis pro verbi Dei prædicationibus, & Sacramentorum administratione versati essent, penuria vigeat; dictus Paulus Prædecessor supplicationibus ejusdem Philippi Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existentibus Archiepiscopis, & Episcopis Indiarum Occidentalium, & sede illorum vacante, Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, ut gradibus Baccalaureatus, Licentiatuæ, Magisterii, & Doctoratus insignire valerent, quotquot annis quinque studuissent in Collegiis formatis tam Fratrum Ordinis Prædicatorum quàm Presbyterum Societatis Jesu, quæ à publicis Universitatibus ducentis saltem milliaribus distarent, dum tamen iidem promovendi prius gessissent actus omnes, qui in Universitatibus generalibus fieri consueverant pro his gradibus adipiscendis, atque à Rectore, & Magistro Collegii approbationem obtinuissent, Apostolicâ auctoritate ad decennium tunc proximum concessit, & indulgit. Volens, quod gradus hujusmodi nemini suffragarentur, nec quisquam illis uti posset extrâ Indias Occidentales prædictas, & aliàs prout in ipsius Pauli Prædecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis die 11. Martii 1619. expeditis plenius continetur.

Moderamen Urbani VIII.

§. 2. Subinde verò recolendæ mem. Urbano Papæ Octavo Prædecessori etiam Nostro pro parte claræ pariter mem. Philippi Quarti earundem Hispaniarum Regis Catholici similiter exposito, quod ex concessione, & indulto Pauli Prædecessoris hujusmodi nonnulla inconvenientia in dies oriebantur, ac propterea per ipsum Urbanum Prædecessorem desuper opportunè provideri summoperè desiderabat, idem Urbanus Prædecessor supplicationibus dicti Philippi Quarti Regis nomine sibi super hoc humiliter porrectis pariter inclinatus, voluit, & pari auctoritate decrevit, quod gradus prædicti in dictis tantum Provinciis suffragarentur, nec extrâ illas quisquam illis uti posset, iidemque gradus illis dumtaxat, qui in dictis Collegiis ipatio quinque annorum studuerant, ac adhibito per ipsos Archiepiscopos, & Episcopos Consilio trium Canoniorum Seniorum suarum Ecclesiarum, nec non

servatâ in reliquis dictarum Pauli Prædecessoris Litterarum formâ conferrentur, & aliàs prout in ejusdem Urbani Prædecessoris desuper pariter in forma Brevis Litteris, quas ad decennium tantum valere voluit, die 7. Januarii 1697. expeditis, quarum & præfatarum Pauli Prædecessoris Litterarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Cùm autem, sicut Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli earundem Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis per Dilectum Filium nobilem virum modernum Ducem de Medina Cæli, ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem, nuper expositum fuit, eadem causæ, propter quas præfata Pauli, & Urbani Prædecessorum Litteræ emanarunt, adhuc perdurent, nec aliæ in illis partibus Universitates Studii Generalis nisi post longum tempus erigi posse videantur, Nobis propterea ipsius Caroli Regis nomine per memoratum Ducem humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, de Venerabilium Fratrum Nostorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, atque Episcopis Ecclesiarum Indiarum Occidentalium, & Sede illarum vacante, earundem Ecclesiarum Capitulis, ut adhibito consilio trium Canoniorum seniorum suarum Ecclesiarum, gradibus Baccalaureatus, Licentiatuæ, Magisterii, & Doctoratus insignire valerent, quotquot annis quinque studuerint in Collegiis formatis Fratrum Ordinis Prædicatorum, quæ à publicis Universitatibus ducentis saltem milliaribus distant, dummodò tamen iidem promovendi prius gessissent actus omnes, qui in Universitatibus generalibus fieri consueverunt pro his gradibus adipiscendis, atque à Rectore, & Magistro Collegii approbationem obtinuerint, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut indultum hujusmodi ad decennium tantum durare debeat, dictique gradus nemini suffragentur, nec illis quisquam uti possit extrâ præfatas Indias Occidentales; ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

§. 4. Decernentes ipsas præsentis Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus, autem ut earundem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extrâ illud ubique locorum habeatur, quæ ipsi præsentibus haberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Causis ad huc subsistentibus additur nova à SS. Confirmatio.

Decretum roborans, & irritans.

Derogatio contrariis.

Transumptorum fides.

Datum

D. 10. Maji 1692. P. A. primo.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Maji Pontificatus Nostri Anno primo 1692.

J. F. Cardinalis Albanus.

XVI.

Confirmatio, extensio, & moderatio respectivè Constitutionum Pii II. Sixti IV. Clementis VII. Pii IV. & Pii V. super prohibitionem quamcumque remissionem, compositionem, vel gratiam homicidii, illorumque fautoribus, auxiliatoribus, consultioribus, vel complicitibus, nec non Ministrorum Justitiæ, querelantiis, & testium offensoribus concedi absque Romani Pontificis speciali mandato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Viros sanguinum, & dolosos, qui inhumanâ severità, & iræ, seu vindictæ furore succensi, nedum corporibus mortem dare, sed non rarò etiam Salvatoris Nostri Jesu Christi pretiosissimo Sanguine redemptis animabus, si non sint armis spiritualibus, divinâ præveniente gratiâ præmunitæ, æternam perditionem procurare non perhorrescunt, cum Domino abominantes, Nostrorumque, & Sanctæ Sedis etiam in temporalibus immediatè, & mediatè subditorum tranquillitati, & paci, ac eorumdem, & Ministrorum Justitiæ majori securitati, ejusdemque Justitiæ liberiori exercitio, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, inter alias Apostolicæ sollicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, in illam præcipuè incumbimus. ut perditos nequitie filios, qui à quorumcumque homicidii, & à Receptorum, & Ministrorum Justitiæ, nec non querelantium, & testium offensionibus virtutis amore abstinere detrectant, formidine saltem pœnæ, & quidem irremissibilis retrahamus, cumque ex spe remissionis, compositionis, gratiosæ rebannitionis, cassationis processus, seu banni, aut alterius gratiæ assequendæ delictorum hujusmodi facilitatem, & frequentiam etiam procedere, experientia rerum magistra docuerit, ut hanc quoque detestabilem, & perniciosam spem magis, magisque adimamus, & recidamus, ac delicta hujusmodi, quantum fieri potest, arceamus, ea quæ à Prædecessoribus Nostri Romani Pontificibus desuper statuta, & providè ordinata fuisse comperimus, ut eò majorem obtineant firmitatem, quò sæpius fuerint Apostolico præsidio communita, Nostre confirmationis patrocinio roboramus, eaque de novo statuimus, seu alias ampliamus, immutamus, & in honorem eximie S. R. E. Cardinalium de Latere Legatorum dignitatis respectivè moderamus, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicimus salubriter expedire.

Spes venie faciles redit ad delinquendum.

Pius II. prohibuit remitti exilium, vel salvum conductu concedi homicidis.

§. 1. Alias siquidem felic. recordationis Pius Papa II. Prædecessor Noster, ad cuius audientiam pervenerat, quod in Terris, locis, & Tenimentis tunc sibi, & Romanæ Ecclesiæ mediatè, & immediatè subjectis, quam plurima etiam ex levibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, idcirco tunc suos, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediatè, & immediatè subjectos pacificos fore, & modestos, ac loca prædicta sicariis, homicidis, & malefactoribus expurgare desiderans, inter cætera statuit, & decrevit: quòd omnes illi, qui pro delicto homicidii fuissent condemnati, seu alias de Civitate aliquâ, & districtu illius banniti, non possent ad Civitatem, seu districtum hujusmodi quocunque tempore redire, seu in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habitâ pace ab hæredibus, vel consanguineis,

seu filii ipsius occisi, nec Legatus etiam de Latere, aut Governator, qui pro tempore fuisset, vel quivis alius posset auctoritate Apostolicâ, seu ex officio suæ Legationis aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu revocare ad Civitatem, seu districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel salvum conductum concedere redeundi, seu morandi in eis, vel eorum altero in perpetuum, vel ad tempus modicum, sive magnum, nec etiam per diem unum, sive noctem. Quod si secus per quemquam ex prædictis factum fuisset, incidere in pœnam excommunicationis ipso facto sine ulteriori sententiâ declarationis, à quâ per alium quàm per Summum Pontificem, & tunc factâ de hoc speciali expressione, non posset absolvi; ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus, & cessatio processus, & banni hujusmodi essent ipso jure nulla, nulliusque roboris, & momenti, adjectis aliis pœnis, inhabilitationibus, censuris, & Decretis, & alias, prout in ejusdem Pii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo quinto Kal. Februarii Pontificatus sui Anno Quarto expeditis Literis plenè continetur.

§. 2. Et successivè rec. mem. Sixtus Papa IV. similiter Prædecessor Noster accepto per eum, quod contenta in Literis Pii Prædecessoris hujusmodi à certis temporibus tunc elapsis non fuerant observata, & ex illorum non observantiâ subditi prædictæ Ecclesiæ procliviores erant ad homicidia committenda, jamque ferè passim homicidia quotidie perpetrabantur, & homicidæ præfati ideò ad illa committenda promptiores exitebant, quia sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse; ac detestabilem, & horrendam talium Sicariorum nequitiam ad aliorum cautelam opportunis juris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habitâ super his cum Fratribus suis prædictæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione maturâ, & de illorum consilio, per suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Kalendis Aprilis Pontificatus sui Anno Nono expeditas Litteras, Statuta & Decreta Pii Prædecessoris hujusmodi, & prout illa concernebant omnia & singula in dictis Literis ejusdem Pii Prædecessoris contenta, Apostolicâ auctoritate approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit, ac voluit. & præfatâ auctoritate de eorundem Fratrum consilio statuit, & ordinavit, quòd condemnati eatenus, & quos in posterum condemnari contigisset ubilibet in Civitatibus, Terris, & locis Romanæ Ecclesiæ mediatè, & immediatè subjectis pro homicidio, sive ut principales, sive ut consilium, auxilium, & favorem præstantes, suarum condemnationum remissionem, aut contrâ illas salvum conductum, & licentiam securè in loco patris criminis, vel ei infra quinquaginta millia, ut præfertur, propinquo, commorandi nullatenus obtinere possent ab alio quàm à Romano Pontifice, qui pro tempore esset, & alicujus alterius etiam Legati de Latere remissio nemini suffragaretur. Et si forsitan contingeret, eundem Romanum Pontificem ad remissionem, seu salvum conductum hujusmodi procedere, talis remissio per preoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesset, nisi in illa verè eorundem Litterarum Sixti Prædecessoris hujusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, insertus foret, ac specifica, & determinata causa exprimeretur, quæ eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum iisdem Literis Pii Prædecessoris, quæ cum tam maturâ deliberatione ab eodem Pio Prædecessore emanaverant.

§. 3. Deinde piæ mem. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster facti notorietate edoctus, plures Urbis, Civitatum, Terrarum, Castro- rum, Temenentorum, partium, & locorum tunc sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, & immediatè subjectorum contrâ eorundem, & aliorum Prædecessorum Litteras elatâ cervice devenire, ac censuras, & pœnas in illis contentas

Sixtus IV. confirmat præcedentes, addendo arcendos per millia quinquaginta à loco delicti, & solam remissionem Pontificis suffragari.

Clemens VII. ampliat exilium ad totam Ditionem Ecclesiasticam. Contravenientes apprehendi, complices

sensu